



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 1. Proponitur, & resolvitur Controversia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

corporum in resurrectione, quæ cum à gloria essentiali profluat, hæc debet esse inæqualis; & ratio Theologica est, quia gloria proponitur, ut bravium merces, & corona iustitiæ iuxta meritum, sive laborem operantis. Sic Cor. 13. *Unusquisque mercedem propriam accipiet secundum suum laborem.* Et 2. Cor. 9. *Qui parit seminat, parit & metet.* Et Matth. *Reddet unicuique secundum opera sua.* Atqui opera iustorum in via diversa sunt, & inæqualia; ergo & præmium, seu visio ipsis correspondens. Unde Florent. in decreto *Unionis* clarè hanc veritatem expresse, dicens: *juxta meritum diversitatem unus alio perfectius videbit essentiam divinam.* Quærimus ergo in præsentia, unde oriatur inæqualitas illa intensiva, vel extensiva, quæ in visione beatifica reperitur, an solo lumine gloriæ, vel an à naturali sola perfectione intellectus creati, vel ab utroque simul ita, ut intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ clarior videat divinam essentiam, quam minus perspicax.

## SECTIO I.

*Propositur, & resolvitur controversia.*

402. **P**lures sunt sententiæ, prima docet, posse elici inæquales visiones ab inæqualibus intellectibus Deum videntibus æquali lumine, ita Scot. in 3. dist. 12. quæst. 3. & in 4. dist. 15. q. 6. quem sequuntur Scotistæ, pluresque alii, licet ex his aliqui addant, non ita defectu evenire, sed sub æquali lumine æquales produci defectu visiones. Secunda tenet, defectu & ab inæqualibus intellectibus cum equali lumine inæquales elici visiones Dei, ita aliqui Scotistæ cum Fabro in 3. dist. 32. cap. 2. ad 2. Et Cajetanus 3. quæst. 9. 10. art. 2. ubi affirmat, quod si Verbum Divinum assumpisset naturam angelicam cum lumine gloriæ, quod habet nunc, in humana natura, perfectius videret Deum, quam nunc videt. Tertia sententia docet, visiones inæquales non posse elici sub æquali principio supernaturali elevante, quia tota proxima mensura perfectionis formalis in visione est principium elevans, secus autem natura, quæ elevatur, ita D. Thomas 1. Part. q. 12. art. 6. quem communiter Thomistæ sequuntur, Exim. Doct. lib. 2. de Attributis c. 21. Vasq. 1. Part. disp. 47. c. 7. complurimque ex nostris. Pro claritate doctrinæ

403. **S**upp. 1. cum Ex. Doct. lib. 2. de Attributis c. 19. à principiis specie differentibus moraliter posse interdum oriri effectus, vel actiones philosophicè ejusdem speciei, si non operentur, quatenus diversa sunt, sed quatenus in aliqua ratione conveniunt; sic idem effectus, qui modo fit ab homine, potuit fieri ab Angelo, vel etiam à solo Deo, quamvis Deus, Angelus, & homo sint principia specie diversa; unde si homo, & Angelus visionem supernaturalem eliciant, non prout concurrunt ex rota virtute naturali ad illam, sed prout conveniunt in ratione principii potentis elevari, & elevati ad producendum

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

juxta naturam principii elevantis, eadem specie Theologica visiones, quæ eliciuntur ab homine, possunt elici ab Angelo, & e contra; quinimò, si homo habeat principium elevans intensius, quam Angelus, poterit elicere visionem ejusdem speciei, & magis intensivam, quam Angelus; sic anima Christi non solum excedit Angelos in visione ut beatitudo est, sed etiã ut scientia est, ut habet Exim. Doct. loco cit. n. 13.

Supp. 2. Quæstionem procedere, quando potentia elevata operatur secundum totam virtutem principii elevantis æquè supernaturaliter approximari in intellectibus alioquin in naturali perfectione inæqualibus; v. g. in homine, & Angelo, si enim non operetur secundum totam virtutem principii elevantis, sed unus intellectus secundum virtutem inadæquatam principii, & alter secundum adæquatam virtutem, tunc ab eodem principio procedunt inæquales visiones, sicuti qui habent eundem habitum charitatis, elicient actus inæquales, si alter pro libito suo noluerit operari secundum totam virtutem, & conatum, quo potest; alter verò ita operetur, quod idem dicendum est de elevatione actuali, quæ juxta plurium sententiam etiam effectivè concurrat, vel juxta aliorum principia perfectiori modo approximant effectivum principium, ut juxta totam suam latitudinem, & virtutem operetur: sic in naturalibus ad naturalem visionem eliciendam concurrat lux, vel effectivè juxta aliquos, vel illuminativè juxta communem sententiam melius approximando potentia visiva objectum visibile, quo fit, ut cum luce clariori clarior visio eliciatur, quam cum luce remissa.

405. **Q**uapropter in præsentia procedit quæstio suppositis principiis supernaturalitatis ad visionem concurrentibus omnino æqualibus in potentia inæqualibus, quæ elevantur: potentia verò, quæ elevantur, duo continent, ut ex dictis à n. 354. constat. Primum rationem instrumenti, secundum omnimodam substitutionem comprincipio elevanti, qua principium elevatum submittitur ad agendum duntaxat, quantum permiserit elevans ad eum modum, quo creatura habens virtutem ut quatuor ad naturalem cognitionem submittitur omnipotentia, ut ipsi præparanti concursum ad agendum. Unde si omnipotentia nollet illi virtuti concursum parere, nisi ut agenti tantum ut duo, licet creatura haberet virtutem ad concurrendum ut quatuor, quatuor illi gradus virtutis creatæ concurrentis ad cognitionem, se haberent de materiali, seseq; attemperarent ad concurrendum, quasi essent formaliter duo. Ratio est, quia in hoc discriminantur causa concurrans non aliter nisi elevata à causâ, ut præcisè partiali concurrente modo, quo in naturalibus concurrat, ut ex principiis Theologicis, ex quibus solum naturam elevantis causæ cognoscimus, statim constabit. His positis

406. **A**ffero cum tertia sententia, principia elevata, inæqualia, & habentia omnino æquale

principium elevans ad visionem simpliciter juxta totam elevantis virtutem concurrentia, non poterunt elicere visionem inaequalem, sed aequalem. Probatum primò ex D. Thoma 1.2. quæst. 12. artic. 6. dicente: *Intell. estus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit; plus autem participabit de lumine gloriæ, quanto plus habet de charitate, quia ubi est major charitas, ibi est majus desiderium, unde qui plus habebit de charitate, perfectius Deum videbit, & beator erit.* Et in solutione ad tertium dicendum: *Quod diversitas videndi non erit ex parte objecti, quia idem objectum omnibus presentabitur, scilicet DEI essentia; nec ex diversa participatione objecti per differentes similitudines, sed erit per diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam.* Et art. 7. in corpore: *In tantum intellectus creatus divinam essentiam perfectius, aut minus perfecte cognoscit, in quantum majori, vel minori lumine gloriæ perfunditur; ergo ex mente D. Thom. visio solum commensuratur perfectioni principii elevantis, non autem perfectioni potentiae, quæ elevatur; ac proinde, si potentiae inaequales habeant idem principium elevans, & juxta aequalem illius mensuram concurrant, non elicient visiones inaequales, sed aequales.*

407. Probat. 2. Ratione Theologica. Juxta inaequalitatem meritum datur visionis inaequalitas, & juxta meritum aequalitatem aequalis visio, ut ex testimonio scripti, ex Concil. Florent. adductis n. 401. constat; sic Trid. sess. 6. Can. 32. *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam & bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam aeternam & ipsius vitæ aeternæ (si tamen in gratia decesserit) consequutionem, atque, & gloriæ augmentum; Anathema sit.* Atqui non ita esset, si inaequales intellectus cum aequali lumine, & omnino aequali principio elevante possent elicere inaequales visiones Dei; ergo non possunt, sed solum potest mensurari visio ad mensuram principii elevantis. Major & consequentia tenent.

408. Minor vero probatur Angelus, & homo habentes aequalia merita, & consequenter aequalem gratiam, habent aequale lumen gloriæ, & aequale principium elevans, siquidem hoc datur juxta mensuram gratiæ; atque adeo habent aequalem visionem, quæ est merces, & præmium meritum; sed si aequale omnino principium elevans cum perfectiori virtute elevata, angelica nimirum præ humana, eliceret perfectiorem visionem, pro aequalitate meritum non esset præmium aequale, sed inaequale; ergo &c. Idem formatum argumentum in habitu charitatis, & quolibet alio principio elevante ad amorem beatificum, unde simpliciter probat, beatitudinem in quocumque actu reponatur, non posse esse inaequalem pro inaequalitate principii elevanti. Confirmatur, & explicatur hæc ratio

fundamentalis: si natura principii elevantis talis sit, ut virtus elevata non plus concurrere possit, nisi ad mensuram elevantis, pro inaequalitate potentiae elevatæ nunquam poterit intensior esse visio; sed talis est natura principii elevantis, ut ex Scriptura, & Conc. adductis constat; ergo &c.

Resp. 1. Aliqui recentiores Scotistæ cum Maltrio dist. 6. de Vis. quæst. 7. art. 1. Nobilitatem visionem defectu correspondere non solum nobilitati principii elevantis, sed etiam nobilitati potentiae elevatæ, in quo nullum est absurdum, quia excessus visionis correspondens nobilitati intellectui, responderet meritis Christi, quibus tanquam effectum prædestinationis meruit huic Beato subtiliorem intellectum. Contra tamen primò. Hæc responsio coherere non potest cum Tridentino canone supra cit. n. 407. ubi dicitur, justificatum per merita, quæ ab ipso fiunt, mereri augmentum gratiæ, & gloriæ; atqui merita Christi non sunt merita, quæ à Beato fiunt, ut evidens est; ergo &c. Contra 2. Illud augmentum, si responderet meritis Christi, solis quidem Christi meritis responderet, quandoquidem tale augmentum non attingunt inferiora, & inaequalia merita prædestinati habentis subtiliorem intellectum; atqui donum respondens solis meritis Christi non datur homini ut præmiu ipsius, alioquin infanti gratia, & adultorum prima justificatio, cum proveniat ex meritis Christi, esset illorum præmiu, & meritum suorum corona, quod absurdum est; ergo &c.

Resp. alii 2. Ex nobilitate potentia cum aequali lumine haberi perfectiorem visionem, quin defectu habeatur visio nobilior, ex meritis ignobilioribus; unde nequaquam sequitur absurdum, quod ex argumentatione nostra contra ipsos inferebamus; ratio eorum est, quia quando sunt aequalia merita potentiarum inaequalium, Deus tribuit aequale lumen geometricè, licet arithmetice inaequale; aequale quidem simul cum potentia, ita ut aggregatæ ex nobilitate potentia, & lumine, quod confertur, possit tantum ad visionem aequalem, virtuti enim nobiliori detrahatur tantum luminis, quantum ipsa excedit ignobiliorè; unde licet non maneat aequalitas in lumine, modo sumpto, sive aequalitas arithmetica, manet tam aequalitas in lumine simul cum potentia, cui confertur ad aequalitatem visionis ratione aequalis meriti, quæ vocatur aequalitas geometrica. Quare si potentia nobilior habet in præmiu lumen ad eliciendam visionem ut quatuor, ita potentia ignobiliori in præmiu aequalis meriti confertur lumen ad eliciendam visionem ut quatuor.

Contra tamen primò; ex hac responsione fieret lumen gloriæ non esse præmiu, vel præmiu inaequale per diminutionem præmiu responderet aequalibus meritis; atqui neutrum dici potest; ergo. Probat. minor, dici nequit, quia lumen datur proter merita; nec separari potest meritum visionis supernaturalis à merito potestatis ad talem visionem; non se-

cundum, quia cum Deus non præmier citra, sed ultra condignum, non diminuit supernaturale præmium, ac proinde neque supernaturalem virtutem luminis. Contrà secundò. Ex eadem etiam responsione fieret non dari æqualem habitum charitatis, & gratiæ Angelo, & homini propter æqualia merita, vel talem virtutem videndi Deum non dari in præmium juxta mensuram gratiæ, & charitatis, etenim si Angelo, & homini data est æqualis gratia sanctificans, & æqualis charitas, uti certè datur propter æqualia merita ex Trident. & n. 407. Si postea conferatur lumen inæquale, non dabitur juxta mensuram gratiæ sanctificantis, & charitatis, quinimò gradus nobiliores virtutis elevatæ essent præmium proportionatum supernaturali merito, si ex illis haberetur geometrica æqualitas cum supernaturali præmio; sed hoc dici non potest; ergo &c.

412. Contrà tertio. Ex adversariorum responsione fieret, naturam magis perfectam esse magis inepnam ad præmium arithmeticum ordinis supernaturalis, quàm naturam minus perfectam. Quandoquidem natura minus perfecta cum merito ut quatuor mereretur lumen arithmeticum perfectum ut quatuor, cum natura perfectior per meritum ut quatuor non possit mereri lumen arithmetice perfectum ut quatuor, atque sic exinde intellectui longè perfectissimo satisfieret, concedendo in præmium æquale lumen supernaturale arithmetice valde inæquale sed hoc est absurdum; ergo &c.

413. Resp. alii tertio Angelo, & homini habentibus æqualia merita conferri quoque in præmium lumen arithmetice æquale, quin exinde eliciant inæquales, sed omnino æquales visiones; ratio eorum est, quia Deus speciali concursu omnipotentiae adjuvat intellectum humanum, ut compenset defectum virtutis intellectivæ, & eliciat visionem angelicæ æqualem; cæterum hæc responsio eadem ferè habet absurda, ac præcedens, ideòque contrà primò. Supernaturalis concursus omnipotentiae cum intellectu ad visionem est meritum præmium, atqui juxta istam responsionem ille supernaturalis omnipotentiae concursus aut amitteret rationem præmii, aut dabitur diminutum præmium æqualibus meritis Angeli; cum Angelo ultra lumen non detur in præmium specialis, & supernaturalis concursus omnipotentiae; ergo &c.

414. Contrà 2. Ille supernaturalis concursus omnipotentiae datur ad mensuram gratiæ sanctificantis, quæ est jus ad beatitudinem. Atqui Angelus, & homo haberent æqualem gratiam sanctificantem; ergo haberent in præmium supernaturalem inæquale concursum omnipotentiae. Contrà 3. Ille concursus planè est magnus favor ordinis supernaturalis; sed natura nobilior esset ineptior ad illum concursum merendum, juxta adversariorum responsionem; ergo juxta adversariorum responsionem natura nobilior esset ineptior ad favorem or-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

dinis supernaturalis. Contrà 4. Ille supernaturalis concursus omnipotentiae uberior, vel debetur homini in præmium sui meriti, vel non? si primum, ergo & debetur Angelo in præmium æqualis meriti; si non, ergo compensantur æqualiter æqualia merita per principia ad visiones inæquales, atque adeò inæquales visiones erunt præmia æqualiter correspondentia æqualibus meritis; quod in ipsis terminis implicat: omitto, quæ facile inferuntur ex dictis.

Probat. tertio. Si ponatur æquale lumen, 415. & omnino æquale principium supernaturale v. g. in intellectu angelico perfecto ut sex & intellectu humano perfecto ut quatuor, intellectus Angelicus non potest operari visionem Dei secundum duos illos gradus virtutis intellectivæ, quibus ipse lumen excedit; sed eo ipso non potest elicere visionem Dei perfectiorem, quàm intellectus humanus cum æquali lumine, & omnino æquali principio supernaturali; & major intellectus perfectio non valet ad eliciendam visionem Dei perfectiorem, ubi lumen, & omne principium supernaturale est arithmetice æquale; min. constat. Nam intellectus humanus operatur visionem Dei secundum omnes gradus illius luminis, & principii supernaturalis, & Angelus non operatur supra hos omnes; ergo non plus intellectus angelicus operatur, quàm humanus, adeòque non elicit visionem plurium graduum, aut Theologicè perfectionem; maj. vero probat. Gradus virtutis intellectivæ, quibus in data hypothese intellectus Angelicus excedit lumen, non permanerent formaliter completi lumine supernaturali; atqui intellectus angelicus non potest operari visionem Dei secundum gradus virtutis intellectivæ, qui non manent formaliter completi lumine supernaturali; etenim naturales gradus non compleri superna virtute, neque agere possunt supernam visionem; in ea autem hypothese gradus virtutis intellectivæ angelicæ sunt formaliter plures gradibus luminis, qui autem ratione permanent plures gradibus luminis, permanent sine lumine sibi correspondente; atque adeò non completi lumine; ergo &c. Vid. num. 427.

Confirmatur ex Exim. Doct. intellectus non 416. concurrat ad visionem virtute naturali, ut naturalis est, sed ut elevatus per ipsummet lumen, ad hanc elevationem tam est aptus imperfectus intellectus, quàm perfectissimus; ergo perfectio vel imperfectio naturæ neque addit, neque tollit facultatem videndi, atque adeò nihil conferre potest ad perfectiorem visionem, si cætera superma sint paria. Confirma. secundò, intellectus ad visionem concurrat, ut instrumentum divinæ gratiæ per potentiam activam obedientialem, sed hæc æqualis est in omnibus intellectibus, etsi in perfectione naturæ sint inæquales; omnes quippe sunt capaces divinæ gratiæ, & æquè elevari possunt: unde major naturæ perfectio in hoc opere, ut in instrumento materialiter tantum se habet, sed

fed major perfectio instrumenti materialiter tantum se habens nihil confert ad nobiliorem actionem; v. g. Si ponatur duplex ferra, ferra una, altera aurea, cum æquali omnino virtute scindendi, quantum est ex parte instrumenti, ex eo, quod materialiter se habeat in ratione instrumenti major perfectio auri, nihil confert ad magis scindendum; ergo &c.

## SECTIO II.

*Solvuntur opposita.*

417. **O**bjic. 1. ex Cajetano: D. Thom. 3. Part. quæst. 10. art. 4. ad secundum docet, *gradus visionis divinae magis attendi secundum ordinem gratiae, quam secundum ordinem naturae*; ergo censet secundum utrumque ordinem attendi, ac proinde existente pari lumine gloriæ perfectiorem esse Dei visionem, si perfectior fuerit intellectus. Resp. C. ant. & N. conf. Quia *ly magis* in textu D. Thomæ non sumitur comparative, sed exclusivè, ita ut idem sit, ac *potius*, sicut cum Paulus ed Hæbr. 11. de Moyse dicit: *Magis eligens affigi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem*; Unde mens D. Thomæ valde aliena est à Cajetani cogitatione.
418. **A**udiamus Ex. Doct. in Commentario illius art. 4. ita loquentem, *quæ Cajetanus docet in solutione ad 2. & 3. cavenda sunt, & corrigenda, nam non solum falsa sunt, sed etiã contra expressam mentem D. Thomæ in solutione enim ad 2. ait D. Th. gradus perfectionis in divina visione magis attendendos esse secundum ordinem gratiae, quam secundum ordinem naturae, unde infert Cajetanus ex utroque capite oriri, ut una visio sit perfectior altera, atque adeo perfectiorem intellectum cum eodem lumine, perfectius videre Deum; sed quidquid sit de re (quam ego sine dubio falsam existimo) in hac littera D. Thomæ nullum sit argumentum, sed ex illa potius contrarium non obscure colligitur, si argumenti intentio consideratur, & rectè explicetur, argumentum enim contendeat Angelum perfectius videre Deum, quam animam Christi, quia habet perfectiorem intellectum. Respondet D. Thomas nego consequentiam, & rationem reddit; quia illa visio est supra naturalem vim potentie creatæ; intendit ergo concludere perfectionem visionis non esse ex naturali perfectione potentie, sed ex supernaturali, unde illa particula magis, non sumitur in illo sensu comparativo, ut Cajetanus exponit, sed ut idem significet, & potius, & ita non assert utrumque extrinsecum, sed alterum negat. Hucusque Exim. Doctor, cujus responsioni nihil potest superaddi.*
419. **O**bjic. 2. ex Scoto in 3. dist. 13. quæst. 3. Quando duæ causæ concurrunt ad eundem effectum, effectus crescit in perfectione, quando aliqua illarum crescit in virtute, & autoritate, sed ad visionem beatam non solum lumen gloriæ, verum etiam intellectus creatus efficienter concurrunt; ergo sicut intensius lumen, ita

& perfectior, & perspicaciter intellectus perfectiorem efficit visionem. Confirm. 1. ex Cajetano. Visus acutior, cæteris paribus, melius videt, licet non augeatur species, vel lumen exterius, & contra, si augeatur species, vel ipsum lumen in ipso medio, intenderetur visio, licet non crescat acies, & virtus ipsius potentie; item duo pictores ejusdem industriae cum inæquali pennicillo, vel duo inæqualis industriae, cum æquali instrumento diversæ perfectionis producant effectum; ergo quando duæ causæ concurrunt ad eundem effectum, effectus crescit in perfectione, quando aliqua illorum crescit in virtute, & autoritate. Confirmatur 2. ex Euclide lib. 1. Element. axiomate 4. Si in æqualibus æqualia addita sunt, tota sunt æqualia; ergo intellectus nobilior cum æquali lumine manet magis potens ad majorem visionem, ad eum modum, quo homo robustior cum æquali adjutorio elevat majus pondus, quam minus robustus cum eodem adjutorio.

Resp. dist. maj. quando aliqua illarum crescit in virtute, & autoritate, si crescat secundum propriam rationem causæ, vel secundum aliquam virtutem completam in tali genere, concedo, si non ita crescat, nego maj. & dist. min. nego consequentiam. Ratio est, quia concausa potest esse perfectior, vel in genere concausæ, nimirum, ut ordinatur ad effectum, vel solum in genere materiali, & entitativo; quomodo est perfectior in genere causæ, cum ad ipsius adventum crescat virtus productiva in ordine ad effectum ex majore ipsius virtute prodibit etiam effectus perfectior, ut patet in duobus elevantibus pondus, & in aliis concausis ejusdem rationis, quando verb concausa non est nobilior in genere causæ, sed solum in materiali ipsius entitate, ex majori materiali virtute non prodibit effectus nobilior, ut patet in ferra aurea, quæ ex majore entitativa nobilitate ipsius non est nobilior in genere causæ scindentis, ut constat ex num. 416. In nostro autem casu virtus potentie intellectivæ, quæ elevatur ad visionem, cum non elevetur, prout est magis, vel minus intellectiva, sed prout est capax intelligendi, & capax elevationis, quæ in omnibus elevantibus æqualis est, exinde major virtus causæ, quæ elevatur, non crescit in genere causæ, sed tantum in causa se habet de materiali, ac proinde effectus non prodibit nobilior ex majore nobilitate causæ, quæ elevatur, sed solum ex majore perfectione principii elevantis.

Solutio, ut à nobis tradita, est expressa doctrina Eximii Doctoris libr. 2. de Attrib. cap. 21. ubi hæc habet: *Respondetur principii illud de causis partialibus complementibus causam totalem, esse unum, quando principium partiale augetur secundum propriam rationem causæ, vel saltem secundum aliquam virtutem completam in suo genere, hic autem, cum intellectus augetur in*